

II. Est humana in carne, cujus hodierna est festivitas; et hanc quis enarrabit? Talis ea est, ut is, qui natus est, Deus et homo, una tamen sit persona non duæ. Finitus est infinitus, parvulus et immensus, temporaneus et æternus, creatus et increatus, passibilis et impassibilis, mortalis et immortalis. Quis audivit talia? Cæterum res ita gesta et in hac conjunctione, ut natura humana hypostasi sua destitueretur, et in personalitate divina subsisteret, quæ personalitatem humanam supplebat eminenti quadam virtute. Ad eam fere modum, quo unum candela-brum, cujus duplex ramus aureus et stanneus in eadem basi aurea tamen consisteret. Basis enim et subsistentia in Christo divina tantum est, naturæ vero duæ, aurea, id est, divina; stannea id est, humana. Cæterum multa sunt in hac generatione difficilia intellectu. Primum, naturarum diversarum assumptio, quæ sic aliquo modo declaratur a Durando, in III. d. 1. q. 1. D. Th. ead. d. q. 1. a 1. Est arbor, v. g. pyrus habens duos ramos, quorum uni inseritur surculus mali, et unus surculus sit pyri, alter mali: sic enim eadem arbor illa duplicem habet naturam et duplicem operationem, quia duplices parit fructus. Ita similiter in Christo duplices sunt operationes, secundum naturam humanam timet, plorat, patitur, moritur; secundum divinam vero minime.

Secundo, est earundem naturarum diversarum unio, quæ declaratur ab Athan. in symb. Cyrill. in ep. ad monachos, etc. per unionem animæ et corporis, quia sicut ex utroque unus constituitur homo ob vinculum unionis, ita ex divina humana natura una constituitur persona ob unitatem subsistentiæ, quæ divina et una est, et utramque naturam sustinet. Similiter in proposito exemplo primo, una arbor dicitur, quæ tamen pyrus est et malus, cædit enim uterque ramus in unam et eandem arborem.

Tertio, est Verbi prærogativa, ut enim surculus ille mali, beneficio arboris pyri vivit, germinat et fructificat, non contra: sic humanitas beneficio Verbi sustentatur, non contra.

Quarto, est idiomatum communicatio, quæ declaratur a Dam. I. III. de fide, c. VIII. et XXVI. Cyrillo de incarn. c. VIII. per carbonem ignitum aut ferrum candens, vel etiam per subjectum cum accidente, a Scoto, in III. d. 1. p. 1. Bonav. d. VI. q. III. v. g. per parietem album: paries comparatur Verbo, albedo humanitati. Nam uti paries denominatur albus, et hoc album dicitur paries: ita Verbum dicitur homo et homo Verbum, cæteraque idiomata sibi mutuo communicant. Sic carbo ignitus, ignis dici et lignum; fer-

rum candens, ferrum dici et ignis potest. Similiter in supradicto exemplo eadem arbor pyrus et malus dicitur: pyrus dicitur producere mala, malus pyra.

Quinto, est Verbi immutabilitas: quæ declaratur a S. Paulo ad Phil. II. per vestem et vestitum, cum ait: *Habitu inventus ut homo*, et Isa. LXIII. *Quare rubrum est indumentum tuum?* Hanc similitudinem recipit Aug. lib. LXXXIII. quæst. q. LXXIII. D. Th. III. p. q. II. a. VI. Sicut enim vestis operit carnem, cum induitur, sed discoperit, cum exiit, idque sine omniscarnis mutatione: sic Christi humanitas operiebat quodammodo Verbi divinitatem absque ulla ejus mutatione. Similiter in primo exemplo: si surculus mali insertus exaresceret, non ideo pyrus exsiccaretur. Ratio est, quia pyrus surculo independentior est et suo modo anterior; ita Verbum existendi rationem et prioritatem anteit humanitatem; et si aridus ille surculus revivisceret et florere, non ideo pyrus mutaretur: sic Verbo nihil in se advenit, cum unitum est humanitati; nec decessit, cum mortua est natura humana in cruce: nec denuo accessit quid mutationis in resurrectione.

Sexto, est Verbi solius et non totius Trinitatis incarnatio; quod a S. Bonaventura in meditatione vite Christi sic explicatur. Quemadmodum cum quis induit tunicam habens ex utroque latere adjuvantem unum, qui teneat manicas et induentem juvet. Tunc enim tres cooperantur ad induendum, et unus tantum, medius scilicet induitur, non reliqui. Et non in primo exemplo, si pyrus illa concipiatur habere tres ramos, quorum medio soli surculus mali insertus est, sic enim surculus ille in arbore quidem, sed non in quolibet ramo insertus est; ita etsi tota Trinitas effective concurrat ad opus incarnationis, sola tamen Filii persona eam terminabat et carnem assumpsit. Denique, induis annulo digitum, cujus tres quidem sunt articuli annulum gerentes, sed uni adhæret annulus. Hinc bene a S. Jacobo in epist. can. c. 1. vocatur Christus insitum Verbum, ut exposuit Concil. viennense. Truncus est persona Verbi, surculus insertus natura humana. Quæ mirabilis insitio commode incidit in ver, diem scilicet vigesimum quintum martii, quo etiam tempore consuevit fieri in hortis insitio surculorum.

III. Ultima est, qua Deus per gratiam generatur in cordibus fidelium, et hæc quoque mirabilis est et inexplicabilis. Primo enim, quis non obstupescat videns Deum venire ad pastores, id est, vilissimos homunciones? Dominum gloriæ habitare velle in cordis humani vilissimo stabulo,

in quo paulo ante plurima stabulantur vitiorum pecora? Cum illis se recreare, cum dicat: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum?* Eisdem zelo magno amare Æthiopissam videlicet tam turpem, tam ardentem tantaque zelotypia, ut ægerrime ferat, si quis alius creaturæ amorem sibi præripiat? Eisdem secreta sua revelare? Eos gratiæ suæ splendore circumfulgere? Si de modo roges, mirabile imprimis est quomodo ad hominem veniat, quomodo recedat. Unde S. Fulgent. I. II. ad Thrasimund. ait: *Veniunt (Pater, Filius et Spiritus sanctus) atque abeunt proprio atque incomprehensibili modo.* Mirabile etiam est, quomodo qui ubique, in homine per gratiam novo modo inhabitet, cum per essentiam, præsentiam, et potentiam, ait ubique. Quis enim modus ille? Respondeo primo, sicut amatum in amante. Sic princeps iter faciens, licet plurimas civitates peregre, et in pluribus hospitibus divertat, in nullo tamen est velut amatus apud amantem, sed ubi tandem ad fratrem velamicum suum divertit, quem visitaturus venit, tunc vere dicitur esse novo modo in palatio illo, etc. Sic etsi Deus sit etiam in peccatoribus, et locis omnibus, est veluti peregrinus et hospes, apud justum autem velut apud amicum intimum. D. August. in soliloq. ait: (Tantum interdum in adventu Spiritus sancti dulcedinem degustavi, quod præ gaudio inenarrabili, quod intus habui, me esse hominem penitus ignoravi.)

Secundo, sicut cognitum in cognoscente: eo fere modo, quo quis incensens personatus, per plurimas vadit domos; non tamen ubique sediscooperit aut cognoscendum præbet, ubi vero ad amicum optimum venit, levam sibi detrahit, ludit, bibit, saltat et sidentissime agit. Simili modo Deus peccatori se non revelat, licet in eo sit, et quasi cum hoste diffidenter agit; quomodo Christus non credebatur se Judæis, eo quod nosset omnes, Joan. II. E contra veniens in domum Marthæ, confidenter egit.

Tertio, sicut episcopus in templo, de quo I. Petr. II. dicitur: *Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.* Habet etiam domi suum stabulum episcopus, sed id nequaquam ornat, quia equorum est habitaculum, tametsi etiam ipse sæpius in id descendit. Templum vero suum, ubi sedes ejus est, ornat, perpollit, aulæis vestit, etc. Sic ornat Deus animam viri justi gratia et virtutibus; non item peccatoris, ubi stabulantur bruta, carnalia desideria, affectus sensuales, peccata mortalia.

Quarto, sicut amicus in amico sibi reconciliato. Reconciliatus enim alteri suam illi deo tradit

voluntatem, spondens se facturum, quod alter voluerit: vel insinuavit se in amicitiam illius, id est, quasi in sinum illius dedit. Sic Deus se insinuat in cor justorum: *Quia voluntatem timentium se faciet*, ait Ps. CXLIV.

Superest nunc ut videamus, num in nobis etiam hodie Christus natus sit. Parum enim præderit nobis natum esse in Bethlehem, si non sit in nobis natus. Quæramus igitur cum magis: *Ubi est, qui natus est?* Quæramus cum Israelitis, Exod. XVII. *Estne Deus in nobis, annon?* Angelus certe pastoribus tribus potissimum argumentis videtur persuasisse Christi nativitatem. Primo, suavissimo suo concentu: secundo, designatione loci et aliarum circumstantiarum, quas investigare hortabatur: tertio, miro, splendore, quo eos circumfulsit. Similiter et nos persuasum habebimus, Christum in nobis natum esse, si experiamur tria illa Sancti Spiritus dona, quæ recenset S. Bern. serm. II. in die pentec. *Pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen.* Pignus salutis, si conscientia nos non redarguat, sed jubilet et testetur, quod simus filii Dei: robur vitæ, si cum gustu et delectatione ad Christum festinemus, adversa toleremus et bona operemur: scientiæ lumen, si cum omnia fecerimus, servos tamen inutiles nos pronuntiemus, et quidquid in nobis invenerimus, illi tribuamus, a quo est omne bonum.

CONCIO IV.

PRÆCIPUI FINES OB QUOS VERBUM CARO FACTUM EST.

I. Redemptio. — II. Instructio. — III. Exemplum.

THEMA.

Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.
Joan. I.

Sacrosancta Ecclesia, cum prædicta verba legit vel audit, in genua procumbit; idque meritissimo, nec unam tantum ob causam. In genua cadit ob stuporem et admirationem, quod Deum, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, qui inserviunt stellæ et vocatæ dicunt: *Adsumus*, ante quem cherubim et seraphim tremunt, et facies suas velant, videat in terra, in stabulo, in præsepi, inter bovem et asinum jacentem. Hoc enim admiratur in spiritu prævidens Habacuc, c. III. (juxta translationem Septuaginta interpretum, dicens: *Domine, consideravi opera tua et obstupui, in medio duorum animalium cognosceris.* In genua procumbit ob exemplum angelorum, qui et ipsi Dei Filium in mundum introeuntem adorant.

et apostolus testatur in epistola hodierna dicens : *Ita iterum introducit Unigenitum in orbem terrarum. Heit : Et adorent eum omnes angeli Dei*, ad Hebr. f. In genua cadit ob exemplum Dei ipsius : si enim Dei Verbum, quod ab æterno procedit ex ore Patris, hodie in terram cecidit et caro factum est ; quomodo non in terram cadat, et si fieri posset, infra terram, caro ipsa et homo ? In genua procumbit ob gratiarum actionem. Si enim reus quispiam morti adjudicatus, et alicujus magnatis precibus vita donatus, merito ante liberatorem suum in genua procumbit, et gratias agit ; cur non idipsum faciat Ecclesia, quæ fatebitur se, olim a Deo Patre gehennæ adjudicatam, nunc a Filio liberatam ? Justum igitur ac dignum est, ut in genua procidamus, dum verba ista legimus. Verum ut accuratius videamus, quam merito id faciamus, videbimus quamobrem præcipue Verbum caro factum sit.

Tres præcipui fines sunt, propter quos opus tam stupendum factum est a Deo.

I. Primus et principalis et qui juxta communem sententiam, adæquata incarnationis causa (sine qua incarnatio Verbi facta non esset, ut hominem lapsum erigeret, et redimeret a tyrannide peccati. Sciendum enim, hominem per se quidem cadere posse, non autem per se resurgere ; tum quia homo in peccato constitutus, quicquid agat, Deo gratum, et pro peccato ejus satisfactorium esse non potest, quia ab inimico Dei proficiscitur, tum quia peccati malitia infinita est, (offendit enim infinitum et summum bonum) quicquid enim boni operatur homo, finitum est ; unde : *Homo, qui per se cecidit, per se ad paradisi requiem redire non potuit, nisi veniret, qui suæ incarnationis mysterio ejusdem nobis paradisi iter aperiret*, inquit S. Gregor. lib. XII. moral. c. VII. Accidit nobis, quod elephantis, qui ut refert Bart. Angl. l. XVIII. cap. XLIII. ita capitur. Venator sciens elephantem semel lapsum, ob corporis molem et ineptitudinem resurgere non posse, ideoque dormientem ad arborem quampiam se inclinare, investigat cui arbori se jungat, illam ergo prius plusquam mediā secat : postmodum ad arborem se inclinans, eam pondere suo dejicit et simul corrui, atque ita a venatore capitur et erigitur. Venator diabolus dejecit nos per arborem in paradiso, dum Evæ ad eam inclinare persuasit, noxiam non esse, sed salutarem : atque ita cecidimus, ut ope propria resurgere nequaquam potuerimus. A solo Deo erigi potuimus. Et potuisset quidem absolute loquendo Deus nos erigere per solam suam misericordiam, atque interventu mediatoris, vel omnino gratis nos eam culpam condonando, vel ab unoquoque

homine aliquam imperfectam satisfactionem exigendo, vel alicui homini puro obligationem imponendo, offerendi pro se et aliis aliquid per modum satisfactionis, quod Deus acceptaret. Sed hoc modo justitiæ Dei satisfactum non fuisset, quia nulla omnino proportio fuisset inter debitum et satisfactionem. Necessarium igitur ad bene esse, seu omnino conveniens, imo spectata Dei justitia omnino et absolute necessarium fuit, ut Deus ipsemet redimeret hominem, lapsum erigeret et pro eo satisfaceret, qui solus infinitam offerre satisfactionem poterat. Non sane necessarium fuit Deo, quasi ipse reparare nos cogere, (poterat enim nos relinquere in fovea, in quam cecideramus, quis enim eum cogeret ad nos eripiendos,) necessarium tamen fuit nobis ut eriperemur. Videns igitur hanc nostram miseriam Deus, misit Filium suum in mundum, qui pro nobis juxta rigorem justitiæ satisfaceret, et pro infinito debito nostro, infinitam offerret satisfactionem, et hoc est, quod sancti illi patres adeo expetierunt, cum Davide, Ps. CXLIII. dicente : *Emitte manum tuam de alto et libera me*. Hoc enim audebant petere, ut ipsis omnem culpam omnino gratis condonaret, quia videbant hoc nimium esse, et justitiæ Dei, si demerita nostra consideremus, parum conveniens ; petebant ergo per manum Dei, id est, per Filium ejus redimi, qui unico satisfactorio opere pro omnibus satisfacere poterat. Nec possumus nobis persuadere, nos (si hunc modum Deus adhibere nolisset, scilicet per Filii incarnationem, et rigorosam ejus satisfactionem) aliter liberandos fuisse : sed haud dubie omnes in fovea peccati merito relinquendos. Sic enim Luc. XIX. dicitur : *Veni Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat*. Videns igitur Deus lapsum hominis tam gravem et irreparabilem ; videns, inquam, hominem illum saucium jacentem, qui descenderat de Jerusalem in Jericho, id est, visione pacis, quam habebat in justitiam originali, in Jericho, id est, lunam, scilicet mundum hunc mutabilem, de loco edito in humilem, de securo in periculosum, semivivum, id est, corpore vivum, anima mortuum, appropriavit et de equo suo descendit, dum per incarnationem de cælo ad eum venit, eumque jacentem in jumentum suum sustulit, dum ejus debita in se suscepit, pro illo in carne sua passurus, et ita in hospitium et pandochium, id est, diversorium omnium Ecclesiam, ubi per salutaria sacramenta totus sanaretur, adduxit. Non juvabant miserum sacerdos et levita, tametsi prius præterierunt, id est, lex naturæ et scripta, nec ullus hominum quantumvis justus, qui et ipsi descendebant eadem via, qua miser ille

jacens, juxta illud ad Rom. III. *Omnes enim in Adam peccaverant, et egebant gloria Dei*. Solus igitur Samaritanus, id est, custos hominum, Christus potuit eum juvare, lapsum erigere et sanare. Descendit igitur de cælo in terram, de gloria in lutum, in stabulum, in crucis ignominiam ; descendit item de jumento corporis sui, cum id in morte sua reliquit. Et hæc est causa, cur Christus a Judæis per probrum Samaritanus appellatus et dæmonium habens, ad prius non responderit, sed ad secundum tantum : *Ego dæmonium non habeo* ; quia sciebat se revera Samaritanum nobis esse, licet altero sensu, quam Judæi illi intenderent. Hinc puto nos intelligere, quanta hominum fuerit miseria post lapsum, et proinde quantum Christi beneficium, hominem erigentis. Constituamus enim hominem semivivum, nudum, saucium in silva jacentem solum. O quantum ille sibi optabit aliquem, qui eum e præsentissimo mortis periculo eripiat, et in diversorium aliquod gerat ? Certe paralyticus ille ad piscinam jacens triginta octo annos in infirmitate habens (qui et ipse Adami lapsi typus est) lamentabatur, quod hominem non haberet, qui eum mitteret in piscinam, cum aqua movebatur : *Domine hominem non habeo*, inquit, *ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam*, Joan. V. in quem locum S. Aug. in tr. XVII. Joan. ait : *Vere necessarius erat homo ad salutem, sed homo ille, qui et Deus est, etc.* Acquisivit igitur hominem et nos cum eo omnes, Christum videlicet qui illum et nos sanavit. Unde jam dicere non possumus : *Hominem non habeo*. Habemus Samaritanum, qui lapsos erexit et in suæ humanitatis jumentum sustulit. O quantum obligamur huic homini, huic Samaritano !

II. Ut nos doceret, et sanaret nostram cæcitatem et ignorantiam, in quam devenimus. Quanta autem ea tunc fuerit, ex eo cognosci potest, quod homines pene omnes præter Judæos, Dei veri cognitionem perdiderint ; singulæ fere nationes singulos sibi deos adscripserint creaturas, solem, lunam, ignem, serpentes, boves, imo opera manuum suarum, lapides et ligna ; denique et homines scelestos, fures, meretrices, homicidas, dæmones quoque ipsos pro diis suis colerent, et tanto quidem numero, quanto fere sunt stellæ cæli. Et hoc faciebat non modo rudis populus, sed etiam eorum doctissimi ; et alioqui in naturalibus scientiis peritissimi ; paucissimi enim illorum, si tamen aliqui, Deum verum agnoverunt. Ad hæc deos illos suos spurcissimos et crudelibus sacrificiis colebant, filios et filias mactabant et crudelissimis modis enectas immolabant : impudicitias et turpitudinibus festa peragebant, per hæc et similia scelera deos se placare existi-

mabant, jus naturale violabant, homicidiis, incestibus, adulteriis, sodomiis, rapinis, quia ea omnia illicita non putabant, ut patet ad Rom. I. in summa malum dicebant bonum, et bonum malum, adeoque in tenebris plusquam Cimmeriis ambulabant, ac nisi Christus lucem doctrinæ suæ mundo intulisset, mundus adhuc magis et magis usque hodie delirasset. « Sicut enim qui in tenebris ambulat, ait S. Chrys. homil. XXXVI. operis imperf. si semel viam perdiderit, interdum tota nocte ambulat juxta viam errans, et non inveniet viam donec superveniat dies : sic et homines ambulantes in erroribus vel peccatis postquam Dei cognitionem semel perdiderunt, ad perfectam veritatis notitiam redire non poterant, nisi dies, scilicet Christus, venisset. » Hæc ille. Quod ad Hebræos attinet, tametsi illi primo in lege naturæ magnam et postea in lege scripta adhuc majorem de Deo cognitionem habebant, hæc tamen sua sapientia nulla inveniebant media, quibus a suis erroribus et peccatis liberarentur, aut passionibus animi frænarent. Unde paulatim vitia quasi in naturam, et errores quasi in jura transibant, ut multa non haberent pro vitiis quæ gravissima erant : ut legi Dei suas traditiones anteferrent, legem Dei depravarent et juxta affectum ac sensum suum male interpretarentur, atque ita, ut Dominus de legisperitis dixit, Luc. XI. *Clavem scientiæ tollerent et clauderent regnum cælorum sibi et aliis*. Et hoc indicant sacerdotes et levita, qui, viso jacente saucio homine, transierunt ; viderunt enim miseriam et infirmitatem naturæ lapsæ, sed remedia non videbant, nec juvare poterant. Lex quidem naturæ valde cæcutiebat in plurimis ; lex scripta multa noverat, sed auxiliari et errores corrigere non poterat, ad eum modum, quo musicus aliquis imperfectus advertit quidem errare cantores, ad rectum tamen tonum, et consonantiam reducere non potest. Solus igitur Christus sufficiens lumen mundo afferre potuit, quemadmodum et attulit ac proinde merito lucem mundi se vocat, Jo. VIII. IX. et XII. ubi ait : *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat*. Docuit enim nos viam Dei in veritate : naturalem legem firmavit, et quodammodo restauravit antea pene collapsam : scriptam, rectius quam legisperiti soliti erant, interpretatus est : errores circa utriusque intellectum illapsos correxit : novas præterea et perfectiores fidei et sacramentorum leges instituit, ut ita viam salutis facilius et securius ambularemus. Unde ait : *Non veni solvere legem, sed adimplere*, Matt. V. Fecit hæc in re Deus, quod prof. mathematicæ solet qui supra cathedram suam stans describit in tabulis

figuras aliquot mathematicas, astrolabium, circulos cœli, etc. proponitque oculis discipulorum et dextra in scriptis dicitur quidnam sibi velint. At videns quia discipuli rem intellectu non assequuntur, descendit de cathedra et figuras a se descriptas digito commonstrans explicat atque ita discipulorum oculos aperit. Descripserat primo Deus modum recte vivendi in cœlo et creaturis, ipsoque rationis lumine signato super nos, teste David, Psalm. IV. *Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Sed quia parum hinc profecerunt homines, dicitur eundem explicatus in tabulis Moysis, quas et per prophetas satis declaravit; sed homines in earum intellectu adhuc cœcutiebant: descendit igitur de cœlo, ut coram illis digito suo omnia explicaret erroresque eorum emendaret. Significat hoc parabola de ove perdita et per devia aberrante, quam pastor bonus relicto cœli deserto venit reducere; hoc parabola de drachma perdita et in tenebris jacente, quæ non nisi accensa incarnationis Dei lucerna, inventa ad lucem producta est: ac quemadmodum res quæ sita ubi inventa est lumen extinguitur, ita postquam homo perditus a Christo inventus est, lumen mundi in monte Calvaria extinctum est. Denique, ad hoc indicandum vult. S. August. tract. in Joan. et lib. V. homil. hom. XLIII. Christum ut sanaret cæcum natum, Joan. IX. expuisse in terram, et fecisse inde lutum eoque quasi collyrio oculos cæci sanasse. Saliva ex ore prodiens quasi Verbum est, lutum natura humana cui unitum Verbum Patris hominem excæcatum illuminavit. Ex quibus intelligimus, quanta nostra fuerit miseria, quantum Christi beneficium. Nam si res miserissima est cæcitas corporalis, uti dixit Tobias ille cæcus, ab angelo gaudere jussus: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo et lumen cœli non video!* multo miserior est spiritualis, et sicut Tobias rursus illuminatus vehementer gavisus est et benedixit Deum dicens: *Benedico te Domine Deus Israel, quia tu castigasti et tu salvasti me;* ita multo magis decet nos mente illuminatos facere hodierna præsertim die.

III. Ut nobis ad omne virtutum exercitium exemplo suo præiret, sicque doctrinam salutis efficacius persuaderet, et nos ad sequendum incitaret. Dissuadebat quidem Deus per legem veterem et ora prophetarum, amorem caducorum bonorum, divitiarum, honorum, deliciarum, voluptatum, et suadebat ac prædicabat eorum contemptum, paupertatem, humilitatem, mortificationem, crucem et tribulationem, jejunium, castitatem, etc. Sed hæc omni mundo paradoxa videbantur; ista fere omnes colebant, illa fugie-

bant et horrebant. Misit tamen subinde multos viros sanctos, qui illa amplecterentur et hominibus exemplo suo suaderent. Sed hi parum auditi sunt; nam eos habebant in derisum homines mundani et vitam illorum aestimabant insaniam: sequebantur omnes majorem partem, quæ contrarium iter tenuit, eratque totus pene mundus. Quare Deus, tandem ipsemet de cœlo venit et vitam illam viamque tenuit, quam verbis prius docuerat; ut ita suo exemplo non solum ad eam sectandam omnes provocaret, verum etiam reipsa doceret eam solam securam esse ad salutem viam: alteram vero periculosam et deviam. Hinc de pauperibus parentibus in stabulo, loco abjectissimo, summa in paupertate, medio frigore natus est, vitam humilem et pauperem duxit, tandem mortem turpissimam et crudelissimam subiit. Unde S. August. lib. de vera relig. cap. XVI. ait: «Tota vita Christi morum disciplina fuit. Satellites voluptatum divitiarum perniciose appetebant; pauper esse voluit: honoribus et imperiis inhiabant; rex fieri noluit; carnales suos filios magnum bonum putabant; tale conjugium prolemque contempsit: contumelias superbissime horrebant; omne genus contumeliarum sustinuit: injurias intolerabiles esse arbitrabantur; quæ major injuria, quam justum innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur, flagellatus atque cruciatus est: mori metuebant; morte mulctatus est; ignominiosissimum mortis genus crucem putabant; crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non recte videbamus, carendo vilia fecit; omnia quæ vitare cupientes a studio deviamus veritatis, perpetiundo dejecit.» Hæc ille. Fecit hæc in re sicut ludimagister, qui ut doceat pueros efformare litteras, primo, describit eis exemplar A. B. C. Am, bm, cm, traditque ut imitentur scribendo, adjungit etiam illis peritiorum aliquem, qui eis assideat et scribendo præceat; sed cum postea inspicit eorum chartas, nisi rudes et informes litteras sinistre exaratas et manu tremula deformatas videt. Itaque ad eos se applicat, calamum arripit, et videntibus illis litteras in ipsorum chartis format, aitque: Ita accipiendus calamus, ita manus ducenda. Præcipiebat quidem olim Deus, quid sectandum, quid fugiendum, et adjungebat rudi mundo prophetas et viros sanctos, qui exemplo eis præirent, sed frustra fere; omnia enim sinistre faciebant, fugienda sectabantur, sectanda fugiebant. Quid igitur consilii cepit Deus? *O quis intelliget misericordias Domini, et auditas faciet omnes laudes ejus?* Descendit ad nos pueros de cœlis, adjunxit se nobis, accepit calamum, id est, carnem humanam fragilem, et cum ea prævit nobis exarando virtutum

litteras. Accepit et calamum illum, quam Judei in manus ei dederunt: (*Quia, ut ait S. Hieron. in cap. XXVII. Matt. calamus arundineus instrumentum erat multis ad scribendum, propterea Christus calamum manu tenere voluit*) accepit contumelias, opprobria, crucem, paupertatem, humilitatem, natus est in stabulo, vixit in patria quasi in exilio, obiit in cruce et per hoc exemplum nobis dedit, ut sequamur vestigia ejus, q. d. sicuti oportet creaturis, sic in mundo conversandum, sic ambulandum. Figura Christi in hoc erat Elisæus, IV. Reg. IV. qui ad resuscitandum filium viduæ mortuum, misit primo servum suum Giezi cum baculo suo, ut eo puerum tangeret, sed per hoc non revixit puer. Descendit ergo propheta ipsemet de monte Carmeli, et incurvavit ac coarctavit se super puerum, ponendo os, oculos et manus suas per os, oculos et manus pueri: quo facto, calefacta est caro pueri et revixit. Elisæus Deus salvans exponitur, et Christum significat, qui præmisit quidem servos suos aliquos cum baculo miraculorum et sanctitatis, ad calefaciendum et vivificandum hominem, veluti Eliam et hunc ipsum Elisæum aliosque; sed non est calefactus, donec ipsemet descendit et incurvavit ac coarctavit se super illum in præsepio, cruce et sepulcro. Hoc enim factum vivificatum est mundus, et sicuti: *Cum descendisset Jesus de monte, Matth. VIII. secutæ sunt eum turbæ multæ:* uti ubi de cœlo per incarnationem ad nos descendit, et exemplo suo prævit, secutæ sunt eum turbæ et nationes integræ. Quis antea credidisset bonum esse egere, algere, despici, pati, etc. postea id totus mundus credidit, quia hæc in Deo vidit.

Neque tantum persuasit exemplo suo, ista, sed hoc ipso etiam stimulavit et incitavit homines ad se imitandum. Unde August. super Psal. XXXV. ait: *Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani, non dedignaretur sequi vestigia.* Dei nam exempla Christi longe differunt ab exemplis sanctorum: hæc enim creaturarum sunt, quibus magnum non est, esse humilem, pauperem, afflictum, propter naturæ infirmitatem, humilitatem et vilitatem. Illa vero creatoris sunt, a quo aliena sunt talia.

Deinde, solus Deus perfectum poterat esse virtutum exemplum, quod secure imitari poteramus: *Omnis enim homo mendax et imperfectus.* Quia vero Deum oculis videre non poteramus; ideo incarnatus est, ut præeuntem videre et imitari possemus. Unde S. August. serm. XXVI. de temp. ait: «Deus sequendus erat, qui videri non poterat; homo sequendus non erat, quia videri poterat; ut ergo haberet homo, et quem videret

homo, et quem sequeretur homo, Deus factus est homo.» In cujus rei figuram, Israelita per desertum peregrinaretur, præcessit eos Dominus per columnam ignis et nubis, et nemo sequi timeret per quemcumque locum, Exod. XIII. Et cujus nunc cor tam frigidum, quod beneficio hujus columnæ, Christi, nos per omnia præcedentia non incalescat, non alacriter sequatur? *Æthiopem regem forte claudicantem, aut simili defectu laborantem, imitantur amici et simul claudicant, et ob id solum claudicare pulchrum ducunt, Diodor. l. III.* Et non magis nos sequamur Deum præeuntem? Quæ tanta superbia, ut non frangatur, videns jacere Deum in stabulo? Quæ tanta temeritas, ut non pudeat, videns Deum in præsepio, fœno et frigore? Quæ cupiditas, ut non satientur videns Deum involutum jugum contendit. Cujus facti ruborem, cum perpeti miles non posset, irridentibus commilitionibus sponte descendit. Xenophontem vero vix universi perpulerunt ut conscenderet equum et laborem suum in necessaria duci munera reservaret. *Referit Frontinus, lib. IV. c. VI. Poterat hoc idem quis de Deo cogitare, nondum incarnato, quod scilicet hominibus ardua præciperet ipse interim in cœlo sine labore degeret. Ne igitur id nunc cogitare quis posset, descendit de equo gloriæ suæ in stabulum et præsepe, et nos meliori conditione honoravit; quod indicat Samaritanus de jumento suo descendens, et saucium illi imponens. Pudeat ergo deinceps videre nos Christum vagientem in præsepio, humilem, pauperem, patientem, obedientem, nos vero dormire in lectis eburneis, etc. Videmus igitur quod olim per Isaiam prædixit et promisit Deus. *Ecce testem populis dedi cum, duces ac præceptores gentibus, Isa. LV. testem (pacti scilicet inter Deum et homines, quasi facilem) per opus redemptionis, præceptorem per instructionem, duces per exemplum. Restat nunc ut cum Samaritano illo leproso revertamur ad Deum et procedentes gratias ei agamus, ob tantum beneficium. Certe legimus dæmonem aliquando alapam impigisse monacho non flectenti genua, cum in templo legeretur: *Et incarnatus est, etc.* dicens se æternum flexurum, si a Christo redemptus esset, quemadmodum nos sumus. *Referit auctor speculi, in spec. exempl. 5. Dæmon. Ergo***